

Cicero de fin. 2, 20, 63; sed praecipue ibi colebatur Iuno Sospes¹⁾ Mater Regina (plenum nomen primus patefecit titulus n. 2090; *Iuno S. m. r.* est in inscriptione n. 2094, *I. S. m. r.* n. 2088. 2089. 2121 et in nummis L. Thorii Balbi infra citatis), non solum ab ipsis Lanuvinis, sed etiam a finitimis; ita ut Romani, cum a. 416 Lanuvinos devicissent, reliqua sacra eis redderent, aedem lucumque Iunonis Sospitis communem populo Romano et municipibus Lanuvinis esse vellent (Liv. 8, 14, 2). Inde explicatur, quod non solum consules Romani Iunoni Sospiti sacra facere debebant (Cic. pro Mur. 41, 90), sed quod etiam extra Lanuvium reperiuntur sacerdotes Lanuvini, sumpti ii ex primoribus equitum Romanorum nec quicquam ad municipium Lanuvinorum pertinentes (*sacerdos Lanuvinus* eques Romanus equo publico, huius corporis vol. V, 7814; *sacerdos Lanivinus* eques Romanus, *bull. dell' Inst.* 1850 p. 174; [*sacerdos*] *Lanuvinus* vol. V n. 6992; *munitus sacerdotio Lanvin(o)* splendidus eques Romanus vol. X n. 4590; *sacerdos et pontifex Lanivinarum immunis* vel *sacerdos Lanuvinorum immunis pontifex* vol. IX, 4206. 4207. 4399 cf. 4208). Aedes Iunonis Lanuvina memoratur a Livio 21, 62, 4, qui narrat propter prodigia inde nuntiata a. u. 536 Romanos publice eo portasse donum ex auri pondo quadraginta (cf. 23, 31, 15; Obsequens p. 126, 20²⁾), et a Varrone de l. L. 5, 162; nec aliud erat templum Lanuvinum, a quo a. u. c. 713 pecuniam mutuam sumpsisse Caesarem Octavianum scribit Appianus (bell. civ. 5, 24) et cuius antiquissimas picturas memorat Plinius h. n. 35, 17³⁾. Imaginem Iunonis Sospitis nummis suis insculperunt L. Thorius Balbus (Mommsen hist. num. p. 569 n. 193), quem Lanuvium fuisse constat (Cic. de fin. 2, 20, 63), — hic adscriptis litteris *I. S. m. r.* —, L. Papius (Mommsen l. c. p. 616 n. 252) et L. Roscius Fabatus (Mommsen l. c. p. 644 n. 295), quorum origo Lanuvina non certa est sed probabilis, cum etiam alios Papios et Roscios habeamus Lanuvinos (Ascon.

¹⁾ *Iunone seispitae* habet titulus n. 2090, *sispitem Iunonem, quam vulgo sospitem appellant, antiquos usurpasse* auctor est Festus p. 343; reliquis auctoribus dicitur *Iuno Sospita*, tam prosae orationis scriptoribus quam poetis (Ovid. fast. 2, 55; Sil. Ital. 13, 364).

²⁾ Alia prodigia Lanuvio nuntiata et Romae expiata ex Livio composuit Mommsen ap. Iahn Livii perioch. p. XXII.

³⁾ Ad idem fanum videtur pertinere fabella de dracone virginitatis exploratore relata a Propertio 5 (4), 8, 3 seq. eodemque fere modo ab Aeliano de nat. anim. 11, 16, qui tamen pro Lanuvio nominat Lavinium.

in Mil. p. 53 Or. conlat. p. 32; Cic. de divin. 1, 36, 79), alii quos Lanuvinos fuisse ex his ipsis nummis iure videtur posse colligi (Mommsen l. c. p. 618 n. 255; Eckhel 5 p. 253). Ceterum Romae quoque post bellum Hannibalicum aedes Iunoni Sospiti dedicata est teste Livio 32, 30 cf. Ovid. fast. 2, 55⁴⁾. — Collegia Lanuvii, praeter collegium funeraticium a Diana et Antinoo appellatum, cuius lex scripta anno p. C. 133 superest n. 2112, memorantur *Augustales* n. 2120 et ab his vix diversi *Viviri* [*Augustales?*] n. 2096 (*sex viratus* memoratur n. 2119); *iuvenes* n. 2113 cf. *praefectus iuventutis* n. 2121; ad eosdem fortasse pertinent tesserae inscriptae *sodales Lanivini* et *sacr(a) Lanivinarum iuven(alia)* apud E. Q. Viscontium *opere varie* vol. II (Mediol. 1829) p. 55 et Garruccium *piombi raccolti dal card. Altieri* p. 37 cum tab. I n. 2. — Imperatorum aetate memoratur Lanuvium aliquoties propterea quod ibi prope nati sunt Antoninus Pius (vita Pii 1), qui imperator factus templa ibi fecit vel refecit (vita 8: *opera eius haec extant, ... templa Lanuviana*), et Commodus (vit. Comm. 1), qui saepius Lanuvii videtur esse moratus (vit. 6) atque etiam in amphitheatro ibi gladiatorem se ipse exhibuit (vit. 8). — *Curator rei publicae Lanivinarum II* sub Severo Alexandro reperitur in titulo agri Tiburtini Grut. 384, 1.

Inscriptionibus Lanuvinis interposui inscriptiones extantes in oppido Genzano plerasque, ideo quod eo venisse eas ex Civitate Lavinia⁵⁾ vel traditur vel veri simile est; nonnullas quae etiam antiquitus videntur stetisse ibi ubi est Genzano, malui adtribuere Aricinis (n. 2158. 2173. 2181. 2182. 2189. 2190. 2199); quamquam utrorum territorio fuerit comprehensus locus ubi est Genzano, nequaquam constat. — Ipsum oppidum Genzano in nullius veteris civitatis locum successisse neque antiquius esse saeculo p. C. XIII demonstravit Ratti *Storia di Genzano* (Romae 1797); nomen quod ei fuisse voluerunt *Cynthianum*, nullum est (Ratti l. c. p. 15 seq.).

⁴⁾ Haec videtur esse aedes Iunonis Sospitae restituta de senatus sententia a L. Caesare consule a. 664 (Cic. de divin. 1, 4, 4; 44, 99). Cf. Becker Topogr. p. 602.

⁵⁾ Causarum eius rei praecipua haec est, quod Civitas Lavinia per multa saecula feudum fuit eiusdem gentis Caesarinorum, deinde Sforzarum, cuius fuit Genzano, et quod hodie quoque cives Genzanenses plerique prope Civitatem Laviniam arant vel vineas habent. Adde, quod in usus quadratariorum Genzanensium — nam haec ars hodie ibi floret — ex Lanuvinis potissimum rudibus saxa tam scripta quam non scripta petuntur.

2086 arula ex lapide Tiburtino. Civitas Lavinia in vinea Salvatoris Marinecci.

DEVM · DEARVM
M · AEMILIVS ALEXSAR
DER · DEDICAVIT

Henzen, qui vidit una cum Mommseno, edidit *bull. dell' Inst.* 1848 p. 67, syll. n. 5951.

2087 basis rotunda marmorea. Rep. Civitas Lavinia una cum n. 2109 FEA; una cum n. 2096 et n. 2114, quae et ipsae videntur esse Lanuvinae, exhibet visc. Nuper inlata museo Vaticano MAR. (1805). Ibi extat (*Galleria de' Candelabri*).

EVPHRATES · AVG · LIB
PROC · OB · EFFECTA SIBI
IN HAC STATIONE ·
ANNA CENTENA
5 GENIO · HVIVS LOCI
D · D

Descripsit Henzen. E. Q. Visconti ms. Par. II f. 167; Fea sched. f. 330 manu ignota; Marini *i papiri diplomatici* ind. p. XXXI; Cardinali *memorie romane* 3, 69, 17. Henzen syll. n. 6339. Errore est inter urbanas huius corporis vol. VI n. 246.

2088 tabula marmorea. Civitatis Laviniae repperit a. 1729 Franciscus Furgi *nel suo cortile, mentre cavava per farvi una grotta* PROC. COM. FIC. *Nel cortile di abitazione del sig. Franc. Furtii spetiale sopra la fontana grande di Civita per andare a S. Lorenzo* GIORGI. Lapis postea inlatus in museum Albanum VVLP. *È nel Campidoglio* FIC. In museo Capitolino MAR. GVASCO et adhuc.

IMP · CAES · DIVI · TRAIANI
PART · F · DIVI · NERVAE · N
TRAIANVS · HADRIANVS · AVG
PONT · MAX · TRIB · POT · XX · COS · III · P · P a. 136
5 I · S · M · R · STATVAM · EX · DONIS · AVREIS
ET · ARG · VETVSTATE · CORRVP · TIS
FIERI · ET · CONSECRARI · IVSSIT
EX · AVRI · P III · ET · ARG · P · CCVI ·

Descripsit Henzen. Angelus Antonius Procacelli et Ign. Como Neapolitani miserunt hic Muratorio (sched. XVIII, 224) d. 14 Oct. 1732, unde edidit Mur. 452, 5, ille Gorio (cod. Marucell. A 77); Lupi S. Severa p. 128; Giorgi sched. Casanat.; Ficoroni misit Muratorio d. 29 Nov. 1738; Vulpi Lat. 5 p. 84 (inde Mur. 147, 5; ex hoc Orelli 2503); Marini Arv. p. 228; Guasco mus. Capitol. 87.

2089 tabula marmorea. Genzano apud Nic. Iacobinum VHDEN. Extat in aedibus Iacobini (*via Sforza 20*).

C · AGILLEIVS · C · F
M · V · N · D · V · S
REX · SACR · AED
FLAMEN · DIAL · is
5 I · S · M · R

Descripsit Bormann. Multo ante (anno circ. 1794) descripsit Uhden sched. Berol. Edita est *bull. dell' Inst.* 1868 p. 159.

Q. Agilleium Mundum habebimus infra n. 2136.